

Anhang II/4b.

In festo S. Joannis. Exultet caelum. in tono eodem.

1. Exultet caelum laudibus.

Resultet terra gaudiis,  
Apostolorum gloriam,  
Sacra canunt solennia.

2. Vos secli iusti iudices,

Et vera mundi lumina,  
Votis precamur cordium,  
Audite preces supplicum.

3. Qui celum verbo clauditis,

Serasque eius solvitis,  
Nos a peccatis omnibus  
Solvite iussu quesumus.

4. Quorum praecepto subditur

Salus et languor omnium,  
Sanate aegros moribus  
Nos reddentes virtutibus.

5. Ut cum iudex advenerit

Christus in fine seculi,  
Nos sempiterni gaudii  
Faciat esse compotes.

6. Gloria tibi domine,  
Qui natus es de virgine,  
Cum patre et sancto spiritu,  
In sempiterna secula. Amen.